

D. D. Cliffort. Gratias egi summas benefactori illustrissimo, sed multas rependere debueram pridem ob collatum quod tibi debeo munus, vellem ut mea tibi utilia magis essent officia; pudet me silentio tantum temporis intervallum præterisse; parcas quæso amico qui te studio omni prosequitur, et qui diligere te et amare semper non desinet. Vale. Parisiis dabat obsequentissimus et ex toto pectore devotissimus

BERNARDUS DE JUSSIEU.

Die 20^o Julii 1740.

Salutant te plurimum frater meus et Pater, amicus Laserre, Aubriet, Vidua Vaillant, et D^a Basseporte.

VIRO ILLUSTRIS

DD: BERNHARD: DE JUSSIEU,

PROFESSORI BOTANICES PARISIENSIS,

AMICO VENERANDO,

CAROL: LINNÆUS.

IN itinere Botanico, impensis regiis constitutus mihi obviam venit amicus antiquus D: Sohlberg, nuncius Regis nostri (*Expres*) ad nostrum legatum Parisiis vestris degentem; data itaque opportunitate et occasione, has breve exaravi literas.

Tractatus isti quos desiderasti a me post reditum in patriam impressos et compactos, literisque inclusis circa initium anni composui, vestro legato dedi, sed nimis graves cum navi se eosdem missuros benignus promisit; præstabitque procul omni dubio. In his ad tuas ultimas responsum dedi.

Pro bulbis Orchidum missis iterum devotissimam mentem reddo; diu hæsere apud legatum vestrum, prodire tamen omnes, florere etiam, sed tantum militares hiantе cucullo.

Iter Scucipio [suscipio?] ad Insulas maris Balthici, Oelandiam Gotlandiamque, redibo, si faveat numen, mensis Augusti circa finem. Ibi plantas marinas, muscos et petrificata investigabo sedulo.

Nunc dei gratia a miserrimo servitio praxcos Holmiæ liberatus sum; stationem tandem obtinui, quam desideravi diu; jussu regis in Academiâ Upsaliensi* nuper profes-

ciebus ad Genera, Generibus ad Classes, adjectis Locis Plantarum natalibus Differentiisque Specierum, cum Tabulis æneis nitidissimis. Amstædædami. 1737.

* Botanices cathedram in Universitate Upsaliensi morte Olai Rudbeckii vacuum, quam obtinuit Rosen, Linnæus ambierat; mox ibidem, professore medicine Roberg abdicante, in ejus locum suffectus est, et demum, feliciori officiorum inter ambos collegas distributione, historiam naturalem habuit inter alia docendam.